

No. 29

SYNOPSIS
Doctrinae ac Me-
dicinae Vulnerum,

IN
Gratiam tyronum
conscripta

J. G. R. M. C.

Cum Consensu Facult. Medicinæ.



WITTENBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCII,
ANNO 1693.

No. 94

SYNOPSIS
DOCTRINAE SACRAE

THEOLOGICAE

IN
GRACIAE TYPIS

J. G. R. M. C.

Compositore F. C. H. H. H.

WITTEBERGAE, LITERIS JOHANNIS W. C. H.

ANNO 1791





Præfatio ad Lectorem.



Ultra eqvidem *L. B.* prostant medicamenta conscripta vulneraria eaq; instrumenta delineata, quæ vulnera consolidanda respiciunt, ast verò quendam adhuc Practicum ita de medicamentis vulnerariis edisseruisse, ut vulnorum naturam Symptomataq; enata exasse recensuerit &, quænam medicamenta pro Symptomatum diversitate sint applicanda, ex naturâ vulneris medicamentorumq; ordine detexerit, istud, quo ad ego memini, foro medico adhuc debetur. Quapropter sequentia funto, quæ in gratiam tyronum conscribere animus est: Scilicet cum ad naturam vulneris pertineat, nosse quàm periculosum sit vulnus inflictum & num lethalitas illata vulnere debeat, hinc inchoabo à generalioribus quibusdam, quæ tyronem ad iudicium de lethalitate vulnorum ducant; Posthinc determinabo in genere vulneris naturam &, quæ ipsam affectiones præternaturales pro circumstantiarum varietate quæant supervenire, insimul & ordine recensabo. Quoniam autem vulnera consolidare naturæ munus existit,

medicus verò ac chirurgus ipsi hoc in opere min-
strant, hinc insuper è statu naturali deducam, quò-
modo & per quenam media natura huc operetur, &
quò pacto, quibusve instrumentis tum medicus, tum
chirurgus cooperari debeant, ut natura suum opus
b. e. partium solutarum reunionem perficere que-
at. Paucis, cuncta hæc sunt instructio methodica,
quomodo status partium naturalis tyronem ducere
queat ad partium statum præternaturalem dete-
gendum. Claudant demùm hoc opus quæ in specia-
lioribus vulneribus v. g. cavitationem quandam perfo-
dientibus sunt observanda. Tu verò L. B. quæ ty-
ronibus scripta æqui boniq; consule.

CAP. I.

De Vulnerum Lethalitate.

Thef. I.

A Nimus est in præsentiarum tradere doctrinam ac me-
dicinam vulnerum h. e. cuncta ea in compendio exhibe-
re, quæ tum ad vulnerum naturam Lethalitemq; co-
gnoscendam, tum ad ipsa curanda medico-chirurgo scitu
sunt necessaria. Dum autem post gravia vulnera inflicta
primò omnium medici est suum ferre iudicium, num pe-
riculosa sint, annon, post ægros verò mortuos idem mox
consultur, utrum hoc vulnus ipsi per se fuerit lethale, num
verò per accidens. Hinc liceat inchoare hoc opusculum
ab iis, quæ nobis definiunt, quanam partium vulnera per se
lethalitatem inferre queant, quæ minus sint periculosa,
quidve sit vulnus per se lethale ac per accidens. Hæc autem
cuncta ex certis, quoad potero, deducam regulis genera-
lioribus.

Th. II.

Th. II.

Scilicet omnis vulnerum Lethalitas aut fuit ex ipsa naturâ & gravitate ipsius vulneris prout hoc se habet ab instrumento lædente, quæ vulnera per se lethalia audiunt, aut procedit à rebus, quæ vulnus circumstant & post inflictionem ab extra ipsum afficiunt, quod si ex harum effectû lethalitas enascitur vulnera dicuntur per accidens lethalia, seu lethalitas est ab extra.

Th. III.

Vulnera per se lethalia cognoscuntur ex partium facultatum usu, connexionè ac situ. Ex usu partium vulneratarum per sequens axioma lethalityatem colligo: *Quæcunq; partes integræ per suam functionem immediatè ad vitæ conservationem faciunt, illa ita læsa, ut hæc functio eximpessum eat lethalityatem ex sese & suâ naturâ inferunt: Ubi-
cunq; vulnera adeò magna sunt ac profunda, ut ne citò rursum consolidari queant; Sed potius interea ex ipsius magnitudine ac profunditate adeò gravia procedant Symptomata unde lethalitas, illa sunt per se lethalia.*

Th. IV.

Ratione situs ac connexionis ita argumentor: *Quæcunq; partes suam connexionem habent cum ejusmodi partibus, quæ necessarie sunt ad vitæ conservationem, illa ita facticia, ut per consensum partem omnimodè hæc lædant connexionem ejusq; functionem, lethalityatem per se inferunt h. e. ex ipso vulnere procedit lethalitas tanquàm consequens. Item; Quæcunq; partes vulneratæ ita sunt situatæ, ut ab hinc in vulnere minùs commodè operari queamus, interea verò temporis talia superveniant Symptomata unde lethalitas, illa per se lethalityatem inducunt: Nam cuncta Symptomata ex in immediatè prodeunt, quòd vulneris situs medicamentorum instrumentorumq; operationes respuat. Uno verbo,*

bo, qui novit partium usum, situm ac connexionem, nove-
rit insimul, quarum partium Sauciarum progenies sit le-
thalitas.

Th. V.

Hoc equevidem notum est, quòd hæc generaliora velle ad
omnia singularia extendere admodum arduum sit & ne-
gotium in quòd Virorum experientissimi non raro offen-
derint. Quapropter de insignis temeritatis notâ suspectus
viderer, qui omnium vulnerum per se & per accidens le-
thaliū, prout contingere queunt, conditiones ex hisce
axiomatibus deducere ac determinare in presentiarum
molirer, quàm innumerus enim bone Deus ipsorum nu-
merus & est & futurus est? Potius proposui hæc generalio-
ra in quibusdam vulneribus commonstrare tyronibus, quò
ex rationem cognoscant, cur sint periculosa & lethalia vel
per se, vel per accidens.

Th. VI.

Capitis vulnera admodum periculosa sunt, etiamsi
levissima & vix cutem penetrasse videantur: Nam pessima,
Symptomata h. e. convulsiones, deliria mox supervenire
queunt ob insignem nervorum per totam hanc regionem
ramificationem & ad se invicem connexionem.

Th. VII.

Vulnera temporum regioni profundè ac latè inflictæ
admodum sunt periculosa & Lethalitatem per se infetre
queunt: Primò enim pericranium tegit musculus crota-
phitem, secundo nervi insignes per totam istam regionem
dispercuntur, prout igitur pericranium & hi nervei insi-
mul rami plus minus lædantur convulsiones abhiñc ac
spasmi maxillæ inferioris supervenire queunt: Etiamsi e-
nim tempora satis profundè, haud verò insimul nervi im-
plantati adeò graviter lædantur, tunc recensitorum non
mi-

minus Symptomatum, quàm vitæ discriminis esse expertia hæc vulnera virorum quorundam experientissimorum observationes testantur. Minus autem periculi important vulnera regioni temporum levitèr inflicta.

Th. IIX.

Vulnera cerebri, cerebelli ac spinalis medullæ admodum sunt periculosa ac per se lethalia. Certior autem in hæc lethaliitate ponenda evadet medicus, dum multa videt dissecta vasa sanguinea in corticali & medullari substantia, sanguis quippè extra hæc dilacerata effusus vasa comprimit cerebrum nervosq; hinc sensuum internorum ac motus voluntarii exercitium languescit, hinc delirium, convulsiones, paralytis, oblivio, sopor & deniq; mors supervenire queunt.

Th. IX.

Cor adeò faucium, ut humorum circulatio ex in plânè cesserit h. e. ubi ejus ventriculi per vulnus sunt adeò læsi, ut sanguinem neq; excipere neq; debito modo expellere queant, lethaliitatem per se infert. Ubi verò externa tantum tunica, musculosa texturâ, aut mucro solum læditur, undè hæc vitalis functio h. e. humorum circulus non in totum aboletur, sed aliquali solum modo læditur, ibi lethalitas non ex ipso est vulnere timenda, sed si supervenit ab extra advenit. Illud tamen certum, quòd maximum crescat periculum propter hæmorrhagiam, cordis motum turbatum inflammationesq; insequentes ex levisimis etiam hisce vulneribus.

Th. X.

Ubi il dissecantur arteriarum ac venarum rami majores, qui in partium interioribus latitant ita absconditi, ut sanguinis nimia moles semet ex in effundens per commo-
da in-

da instrumenta minimè sistsi queat, ibi vulnus per se est lethale: Nam ex enormi hæmorrhagia progignitur mors. Abhinc autem ex natura contrariorum sequitur vasa sanguis fera artuum aut aliorum locorum exteriorum læsa per se non lethalia esse, sed per accidens, quia hæmorrhagia in ipsis ab extra sistsi potest & situs est talis, qui medicamentorum operationem admittit.

Th. XI.

Pulmo etiam si viscus sit, quod ad vitalitatem conservandam maximoperè faciat, attamen probe erit dispiciendum, quàm altè vulnera ipsius substantiæ sint inflicta: Nam sola vesiculosa textura læsa equidem empyema vel phthisin producit per se, minimè verò mortem. Tristius signum lethaliusve præbent læsi trunci majores vasorum pulmoniarum bronchiæq;: Dum enim omnis sanguis à corpore refluus vasa pulmonalia subit, hinc patet, quàm enormis hæmorrhagia, quæ ob accessum denegatum minimè sistsi potest, ex in oriatur, quid? Quòd ex bronchiis læsis respiratio aboleatur.

Th. XII.

Quæ vulnera diaphragmatis substantiam sive tendinosam sive carneam latè profundeq; penetrant per se lethaliibus quoq; sunt accensenda, quia primò diaphragmatis descensus maximoperè est ad inspirationem & ita necessarius, ut sine ipso procedere nequeat, qui tamen ob id genus grave vulnus impeditur; Secundò enormes hæmorrhagiæ, convulsiones supervenire queunt. Vulnera autem leviùs inflicta sunt minùs lethalia.

Th. XIII.

Quàm maximoperè ad vitam conservandum deglutitio requiratur quilibet fatebitur, hinc verò insimul certum

tum est, quod vulnera gulæ ac Oſophago adeò inflicta, ut deglutitionis negotium exin planè impediatur, per ſe ſint lethalia. Dum autem æger adhuc aliquali modò deglutire poteſt levius periculum ſubeſt.

Th. XIV.

Ex alimentis in ventriculo contentis & per aliquale tempus ibidem commorantibus elaboratur chylus, qui ad inteſtina devolutus tenuia ſecernitur ibidem ac per venas lacteas ad ſanguinem defertur; Hæc verò cuncta ad vitam ſuſtentandam adeò ſunt neceſſaria, ut, utrum etiam horum deficiat, æger ſenſim marceſcat exin atq; moriatur. Quis autem abhinc colligere nequiret ſequentia? Vulnera ventriculum penetrantia in totum lethalia ſunt per ſe, quia cibi ex ipſo in abdominis cavitatem elabuntur: Vulnera quæ inteſtina perterebrant per ſe lethalia ſunt, quoniam ſic cibi in chylum fœcesq; digeſti thoracem pariter illabuntur: Vulnera venarum lactearum per ſe ſunt lethalia, nam chylus abhinc non defertur ad ſanguinem ſed thoracis cavum, hæc autem vaſa minimè ob ſuam teneram texturam queunt consolidari. Idem iudices de receptaculi lumbaris auò ductus thoracici vulneribus.

Th. XV.

Quid dicam de inteſtinorum craſſiorum vulneribus, quæ Doctorem multi vulneribus per accidens lethalibus annumerant, quia non roris nutritii ſed fœcum eſſent portatores? Quicquid verò hi reclamant, tamen exiſtimo de vulneribus horum inteſtinorum eſſe hunc in modum iudicandum: Ubicunq; inteſtina craſſa ita vulnerantur, ut fœces in abdominis cavitatem ex ipſis effundantur, ibi hæc vulnera per ſe lethalia ſunt dijudicanda: Nam fœces hæ brevi putreſcunt, ex putredine verò viſcera vicina corrumpuntur, quibus tamen Symptomatibus æq; ac hæmorrhagia

B

gia

giæ sæpè adhinc enormi minimè succurri potest. Idem lethale esto iudicium de vulnere circa podicem inflictò, ab hinc quippè fœcum excretio impeditur, quæ autem horrenda Symptomata exin orientur & quomodò sic mors supervenire queat suppono ex Pathologicis. Minùs lethalia sunt vulnera ab extra sive per abdomen intestinis crassis inflicta.

Th. XVI.

Quæ vulnera discindunt mesenterium, omentum ac Virescentii pancreas, vasa fellea, hepar aut lienem per se lethalia sunt, tum ob insignes quæ hinc propullulant hæmorrhagias, quæve ob denegatum accessum aut nullatenus, aut difficillimè sisti queunt, tum quòd ob eundem accessum denegatum vulnera hæc consolidari nequeant. Quòd si tamen extimam solùm hæc vulnera lambant eorum substantiam minùs sunt periculosa nec lethalia nisi per accidens.

Th. XVII.

Vulnerum renum, uretherum ac vesicæ urinarie etiam si amplorum Lethalitas essentialis & accidentalis variat pro ipsorum situ. Quòd si enim vulnera ita sunt inflicta, ut sanguinem ac urinam in abdominis cavitatem effundant, desperata res est ac vulnus per se lethale. Ponamus autem hanc læsionem, in primis autem vesicæ esse ab extra, ita, ut ipsi per commoda non minùs medicamenta succurri queat, quàm urina pariter extra corporis fines semet effundere, tunc sæpè ejus collum, sæpè etiam fundum coaluisse rursùs observationes testantur.

Th. XIX.

Quòd iudicatum est de vulneribus, quorum progenies hæmorrhagia est enormis & inaccessibilis, idem hinc applices ad vulnera, quæ uteti vasa majora aq; ac ejus substantiam perfodiunt: Quippè præter enormem hæmorrhagiam

rhagiam facile suboriuntur convulsiones aliave horrenda
symptomata. Sed hæc ceu exempla quædam de vulnerum
lethalitate essentiali sufficiant, nunc verò pariter mei erit
officii demonstrare, quid per accidentalem lethalitatem
intelligi velim. Th. XIX.

Scilicet sæpè contingit, ut æger intra paucos dies, vel
post multos etiam elapsos moriatur ex vulnere levisimo,
quod non per se sed per accidens ipsi fuisse lethale dicitur.
Omnia verò sicuti accidentia dicuntur, quæ substantiæ cu-
idam ab extra adveniunt, eam modificant & modò ipsi ad-
sunt, modò ab ipsa abesse queunt; Ita pariter idem judi-
ces de accidentalibus hisce, quæ adeò ab extra vulnus affi-
ciunt, ut corpori lethalitatem inferant. Impossibile au-
tem est cuncta huc enarrare, quippè quæ tantum non infi-
nita hinc ob quædam solum ceu exempla recensebo per quæ
illustrantur reliqua. Nimirum inter talia accidentia sunt
communissima: Neglecti ægri cura in regimine sex re-
rum non naturalium, Aeris, nempe, cibi & potus, motus
ac quietis, somni & vigiliarum, animi pathematum, excre-
torum ac reterorum: Vulnus non tempestivè deligatum,
aut ejus hæmorrhagia, quæ cum potuerit, non compesce-
batur aut ob medici, chirurgi aliorumve absentiam,
ignorantiam, in deligando transtandoq; vulnere incur-
riam, aut ob medicamentorum instrumentorumq; com-
modorum absentiam, & quæ sunt alia: Quibus enim po-
sitis cum lethalitas ponatur, vulnus dicitur per accidens le-
thale h. e. non ex ipsius vulneris natura producta est letha-
litas, sed ex alia quâdam re quæ ab extra vulnus affecit, attra-
mèn abesse potuisset sine destructione naturæ vulneris.
Sed de vulnerum lethalitate tantum, nunc ad ipsa medica-
menta vulneraria.

B z

CAP. II.

CAP. II.

De Medicamentis vulnerariis

in genere.

Thes. I.

Medicamenta vulneraria seu traumatica huc loci vocantur *cuncta ea medicamenta instrumentaq; per quæ medicus ac chirurgus eum in finem operantur, ut solidam partium soluta unitas seu vulnus consolidetur rursus reuniaturq;.* Ut autem nunc intelligere queamus, quomodo ac quotuplici ratione hæc medicamenta pro diversitate vulnerum, symptomatum circumstantiarumq; diversa propter vulnus consolidandum operentur, hinc liceat præmittere ac delineare quid ac quotuplex sit vulnus, quænam ipsum supervenire queant symptomata, quale munus sit vulnera consolidare & quomodo medicus ac chirurgus ad vulnus consolidandum sese habent.

Th. II.

Est autem vulnus *ea continui solutio, quæ contingit per violentam causam externam in partibus mollioribus solidis.* Cùm igitur partes molliores huc loci solum indigitarim ceu subjectum quod vulneratur, hinc eò ipsò osium unitatem solutam seu fracturam in præsentiarum removeri quivis nec etiam silente videt.

Th. III.

Diversa verò est hæc soluta unitas *ratione partium earum quæ vulnerantur,* hinc dantur vulnera juxta articulos, musculos, cutem, glandulas, arterias, venas, nervos, adipem, tendines, membranas, oculos, nares, aures, labia, cerebrum, spinalem medullam, Oesophagum, asperam arteriam, thoracem,

cem, pulmones, Cor, diaphragma, ventriculum, hepar,
lienem, intestina, renes, vesicam, &c.

Th. IV.

Quæ diversarum partium vulnera nunc magis modi-
ficantur *per diversa accidentia*: Primùm enim dantur par-
tes, quæ solùm sunt solutæ vulneratæq; hinc vulnera hæc
dicuntur simplicia, dein verò sæpè adeò vulnerantur, ut aut
ipsarum, si quæ tegunt, ossa vel insimul frangantur, vel lu-
xentur solùm, aut substantia quædam carnea per idem vul-
nus transversim & planè abscindatur, cujus generis vulne-
ra vocantur composita.

Th. V.

Hujus autem utriusq; classis vulnera sũnt longa, lata
profunda, brevia, angusta, rotunda, transversa, obliqua,
æqualia, cœsim vel punctim inflicta, prout scilicet diversa
sunt instrumenta quæ lædunt, aut partes quæ læduntur, aut
manus lædentis vel impetus instrumenti vulnerantis ad
vulnus se diversimodè habent, vel aliæ adstant circum-
stantiæ.

Th. VI.

Operam perdere viderer, qui prolixus essem in re-
cendis iis instrumentis, per quæ partes læduntur, cum
enim hæc notiora sint, quàm ut recenseri mereantur,
progredior ad declarandum, cujusnam munus sit vul-
nus consolidare, è quò In simùl patebit quomodò medi-
cus ac chirurgus ad ipsum pariter se habeant. Tùm au-
tem erit palàm, quale munus sit consolidare vulnera, cum
explicatum fuerit quomodo vulnera consolidentur.

Th. VII.

Scilicet vulnera consolidari id significatum vult, *quan-*

do ipsorum labia rursus arcte ac regulariter ad semet invicem sunt unica & fibrarum pori sibi rursus adeo aequaliter correspondent, ut humores naturali modo per ipsas circulari queant, dum enim succus nutritius hinc rursus appellit nova abhinc repullulant fibra, per quas pars antea soluta nunc iterum consolidatur reuniturq;. Quilibet autem abhinc videt, quod partes vulneratae eodem modo reuniantur, quod ipsae nutriuntur, brevibus, partes solutas consolidare solius est natura opus, quod in actum producit, dum partibus hisce novum succum nutritium suppeditat perq; hunc ipsas ligat consolidatq;.

Th. IIX.

Quae cum ita sint, hinc insimul manifeste patet, quod medici ac chirurgi operationes tum per manum aut instrumenta, tum per medicamenta id solum respiciant, ut primum removeant a vulnere omnia obstacula, quae naturam ab hac consolidatione detinere valent, dein vero ipsi per talia succurrant per quae eo citius faciliusve ad hanc solutam unitatem reunendam tendere queat.

Th. IX.

Rident quidam medicorum hoc assertum notionem naturae non nisi ignorantiae asylum esse existimantes, sed revera non est, quod terminum hunc e Schola medica eiciamus, modo, quid sibi velit, rite explicetur: Nam per naturam intelligimus principium istud activum, quod movet partes humorosas, quod actuat partes solidas, ut eas praestent functiones propter quas a Deo sunt creatae. Hoc igitur principium seu natura (nam voca ut lubet) disponit pariter in hoc statu partes solutas ad statum naturalem, dum humores extravasatos laudabiles in sua vasa repellit, ob diuturnam vero extravasationem ac stasim corruptos tanquam
iuti-

inutile quid separat & extra corporis limites per fibrillas
discissas exterminat, quas deinde post per legitimum suum
cum nutritium appositum sensim conglutinat.

Th. X.

Sed ut nunc palam evadat quomodo & quanam Sym-
ptomata vulnera supervenire eaq; modificare possint, hinc
ea cuncta sequentem in modum jam eruamus. Scilicet e
physiologia certum est, quod (1) omnes fibrae per totum cor-
pus sint expansae ac tensae, haec autem fibrae vel carnae sunt, vel
membranae, vel nervae, quibus fibrae vasorum sanguiferorum
atq; lymphaticorum sunt annumeranda (2) per omnes istas
fibras humores circulantur, ita, ut etiam per fibrarum carno-
sarum longitudinem sanguis arteriosus circuletur.

Th. XI.

Haec autem ad naturam vulneris ita applico (1) Diffe-
sta fibra de semet fundunt humores (2) quoniam antea erant
expansae nunc crispantur ac tanquam in cincinnos dissiliunt,
unde (3) labiorum vulneris debiscentia, hinc pariter (4) in-
tra ipsas humorum stasis, e qua autem (5) Diversi generis tu-
mores pro varia indole humoris stagnantis progigni queunt,
scilicet vel inflammatorii, vel oedematosi, vel spasmodici, qui
magis saepe exacerbantur ab injuriis non solum externis, sed
& internis, in primis vero accessu aeris vel calidi, qui nimirum
quantum humores aetuat fibris discissis interpositos, vel fri-
gidi, qui hosce humores repellit. (6) Tumores concomitant ut
dolores ob fibrarum a corporibus interpositis crispaturam
& stagnantes intra crispatas fibras humores pro quarum fibra-
rum diversa crispatura humorumq; stagnantium diversa
indole diversus gignitur dolor nunc gravativus, nunc lanci-
nans, nunc ardens, nunc tensivus, nunc pulsatorius. (7) Saepè
super-

supervenit febris Symptomata vulneraria propter quam ob aestum febrilem humidum absumentur fibræ interpositum, hinc verò siccitas vulneris & ejus coalitio atq; consolidatio difficilis. (8) Si pars vulnerata os tegit, hoc vel insimul frangi potest, vel saltem luxari aut ob multas causas cariosum fieri. (9) Per instrumentum ledens partis substantia quædam transversim abscindi planè potest.

Th. XII.

Ex hisce præmissis nunc manifestum est, quòd vulnera diversarum sint classium & quædam ipsum respiciant vulnus, quædam vicissim Symptomata aut cum vulnere nata, aut ipsum supervenientia b.e. pro diversitate causarum producta.

Th. XIII.

Medicamenta autem ac instrumenta, quæ immediatè ad vulnus pertinent ea sunt, per quæ medicus ac Chirurgus vulnera labiorum unit & ad se invicem arctè adducit, quòd à naturâ rursus consolidentur, quæ tamen unio cum minimè contingere queat, nisi sanguinis per fibras saucias effluxu nimio sedato, hinc mox post vulnus inflictum eò allaboretur, ut hæmorrhagia compescatur.

Th. XIV.

Quapropter nunc primam medicamentorum traumaticorum Scenam aperiunt medicamenta stiptica, seu etiam instrumenta, tum medicamenta per quæ sanguinis è vulneratis fibræ effluxus sistitur. Varia hæc sunt ac diversa tum ratione usus seu applicationis, tum ratione partium affectarum quibus admoventur. Ratione usus dividuntur in externa & interna.

Th. XV.

*Interna sunt adstringentia: Terra Sigillat. Corall. rad.
Sym.*

Symphyt. bistort. tormentill. Hpyrol. Sanicul. alchymill.
 pimpinell. millefol. Tinct. Rhamatit. $\text{Ais } \oplus \text{ li, } \oplus \text{ li cum}$
 essent. op. maritatus. Nota tamen, quod nunquam non cum
 hisce adstringentibus, juxta experientiss. Sylvii monitum,
 resolventia sint combinanda, ne e sanguine intra fibras ab
 adstringentibus nimium crispatis stagnante aliud malum
 h.e. inflammatio exurgat. Talia autem sunt resolventia:
 Lapid. 69. g diaphoret. Simpl. & Oal. antihectic. Poter.
 mum. sangu. hirc. Oia volatil. item plantæ antiscorbuticæ
 v.g. beccabung. centaur. min. Card. bened. Scord. Scabios.
 veronic. majoran. rosmarin. rad. aristol. rotund.

Th. XVI

Medicamentorum stipticorum externorum varia
 sunt pro diversitate partium, quibus admoventur & ope-
 rationum, quibus sanguinem diversimodè compescunt.
 Talia autem sunt. (1) *Quæ fibras constringunt & san-*
guinem coagulant, inter quæ communissima sunt: Crepit.
 lup. acet. aut liqvores stiptici e Olo & One compositi:
 Ubi tn. nervi sunt læsi, hæc recensita nullatenus veniunt
 applicanda ob summum quem ex hac constructione produ-
 cerent dolorem, potius tunc optima & tutissima erunt ob-
 struentia: Ol. terebinth. destillat. aut Spir. Vin. rectific.
 Fortiora sunt adstringentia (2) *quæ virtutis sunt causticæ,*
 scilicet caustica vel actualia v.g. ferrum candens, vel po-
 tentialia, ambo autem sanguinem sistunt, dum vasi san-
 guifero escharam inducunt. (3) *Sanguinem ex arteriâ pro-*
silientem sistit, torcular quod CL. Muys invenit & ramo
 arteriæ læsæ imponitur, compressio cum laminâ plumbeâ
 & arcta deligatio cum spleniis post adhibita stiptica, inter
 quæ eminet frustum Onis lateribus arteriæ læsæ vel etiam
 venæ intrusû, in momento enim illa fauciata constringit.

C

(4)

(4) *Quæ particulis suis glutinosas fibras in se continent & continent v. g. Aloe sangv. dracon, album ov.* (5) *Quæ particulis suis lanuginosis fibrosisq; vasorum hiatus obstruunt v. g. lanug. salic. fructuum cydonior. castanear. bombac.* Item festucæ rasiles linteorum, de quibus tamen notandum, quod non omnia linteamina inserviant pro ejusmodi festucis v. g. Cattonium, observavit nimirum Cl. Muys. per microscopium, quod tales festucæ gaudeant texturâ aculeatâ, id quod pariter effectus confirmat, nam vulneribus immixtæ inflammationes progignunt. Eodem modo hiatus obstruunt pili leporini, araneæ cum pane vulneribus immixtæ.

Th. XVII.

Agmen horum medicamentorum instrumentorumq; ve-
stipticorum claudit venæ sectio pro scopo revellendi in
venâ medianâ adhibita. Posset equidem contra hanc ve-
næ sectionem objici, quod planè nihil juvet, dum post
breve tempus idem sit ac pristinus humorum ad partem
læsam per legem circulationis affluxus, scias tamen, quod
multum juvet nomenq; remedii stiptici jure mereatur se-
quentem ob rationem: Quippè dum sanguis per aliam
educitur venam, intereà non in tantâ quantitate partem
affectam alluit, hinc fibræ non adeò ac ante à sanguine di-
stenduntur, hinc verò per remedia stiptica facilius
vasa constringi queunt. Nota tamen de adstrin-
gentium usu, quod, ubi æger sit ebrius aut irâ enor-
miter commotus, nimum properare haud liceat cum
ipsis, utpote quibus in casibus sanguinis ob modò dictas
causas detractio inflammationem præscindit. Ut ne ve-
rò sanguis de novo è vasibus dilaceratis profluat æger in-
tereà abstineat ab omnibus alimentis spirituosis, aroma-
ticis,

ticis, corporis ac animi motibus, vulnus autem non nisi post unum vel alterum diem elapsum deligetur, quousque; a cicatrice aut carne nova hiatus fuerit quodammodo occlusus.

Th. XIIX.

*Vulnerum autem labia biscentia combinamus & ad se-
met in vicem propius adducimus duplici modo: Scilicet
labia vulneris secundum longitudinem inflicti conjun-
guntur per solam compressionem blandam & deligatio-
nem per fascias puvillosque; affabre complicatos, uno verbo
per deligations. Quod si vero partem affectam com-
modè deligare nequimus per alium modum hæc labia
sunt combinanda, scilicet per suturas. Hæc autem sunt
vel sicca, vel vera, sicca sunt, *emplastra glutinantia*, quæ
vulnerum labiis ita applicantur: Uni horum tale em-
plastrum firmiter applicatur, quod dein arcuè adductum
ad alterum labium ei parili modo firmiter admovetur. Ne-
ta tamen, quod vulneris hiatus non unà vice sit accuratè
tegendus, quo Sanguis fibrarum interstitiis interpositus &
demum in pus degenerans effluere queat, talia vero em-
plastra glutinantia sunt: Emplastr. diapalm. stiptic. Croll.
&c: Sutura vera contigit *cum acu & filo*, ubi nimium
vulnera nimium ab invicem dehiscunt.*

Th. XIX.

Sed hæc labiorum unio illico in actum produci pot-
est, dum ipsorum fibrae sunt flexiles nullumque; corpus pe-
regrinum ipsis est interpositum &c: Hinc vero nunc de-
venimus ad remedia vulneraria, *quæ vulnerum sympto-
matibus prospiciunt*. Initium esto ab iis, *quæ hæc respiciunt
impedimenta præcavenda aut removenda, unde labiorum
vulneris ad invicem detinetur adductio.*

XX.

Primum impedimentum fit fibrarum vulneratarum crispatura, quam præcavemus. (1) Si arceatur ab ipsis frigidioris Aeris contactus, notum quippe est, quam atrociter hic Aer ratione suarum particularum frigoriferarum agat in vulnus fibrasque crispet,, id quod manifestè deprehendimus, dum pars affecta post Aeris frigidioris accessum illicò tumet doletque; (2) carbones in vase aperto accensi adhibentur, aut spatula ferrea ad ignem calefacta supra vulnus paululum detinetur, aut saltem linteamina calida superin sternuntur.

Th. XXI.

Quòd si vulneris labia jamjam crispata sunt per Aeris frigidioris contactum, vulneraria tunc audiunt, ea quæ ipsas rursus emolliunt, qualia sunt fodus decoctorum resolventium ac nervinorum. Nervina autem multum huc conducunt, etiamsi acria sint: Nam fibræ per acrimoniam sunt irritandæ, ut spiritus à frigore retropulsi nunc rursus ipsas influant, talia verò sunt: Sp. Vin. flor. spic. laven- dal. fol. ros. marin. ol. terebinth. succin. aliisque antispasmodica, quibus loca proxima sunt illinienda. Fibræ autem, dum per Aerem frigidum nimium quantum sunt rigida factæ, prius erunt emolliendæ vel per olea insipida, minus acria & tepidè applicata v. g. Ol. infus. hyperic. lil. alb. rosarum, vel per axungias quibus cum præter partem affectam nuca & tantum universa dorsi spina illiniri potest, si forsan nervus huc prodiens spasmò laboret. Interna autem sunt antispasmodica: Balsam peruvian. de tol. unicorn. unguet. alc. liqv. C. C. succinat. Castor. ejusque essentia.

Th. XXII.

Aliæ autem operationes erunt administrandæ, dum
ossa

ossa fracta & comminuta, aut globulus, aut alia corpora peregrina vulneribus inflictâ. Quaecumq; igitur corpora peregrina è vulneribus eximunt, ossum fragmenta & comminutiones ipsi vel parili modo demunt, vel cum osse integro reuiniunt illa hujus loci erunt vulneraria.

Th. XXIII.

Instrumenta autem, quæ corpora peregrina è vulneribus eximunt è fonte chirurgico sunt, Volsellæ aut alia instrumenta quibus cû pariter lamina ossæ fractæ ac comminutæ, quæ penitus ab osse sunt separata, extrahuntur, quòd si vulnus nimis sit angustum dilatari debet per incisionem.

Th. XXIV.

Celerrimè hæc corpora eximi debent, nisi id dissvadeat summus ægrotantium langvor, vel insignis hæmorrhagia timenda, vel aliqualis adhuc fragmentorum ossis cum suo periostio connexio, quippè per hujus fragmenti à periostio avulsionem insignis dolor inflammatioq; progignerentur. Eandem extractionem promovent positiones internæ quæ diaphoreticæ sunt virtutis, dum enim sanguis partes omnes & per consequens etiam læsam impetuosiùs appellit, hinc corpus peregrinum expellitur.

Th. XXV.

Dum autem quædam lamina nondum est ab osse penitus separata adunienda erit rursus cum osse deligando partem læsam per fascias & ferulas, modo ne adeò stricta ista sit ligatura, partes autem adunitæ usq; ad coalitionem in tali erunt situ detinendæ. Ubi pars vulnerata insimul est luxata res est summi periculi plena, nisi enim partem luxatam celerrimè reponas gangræna superveniunt æ sphacelus, aut ubi violentâ manu (nam blandiori cedere

C 3

manui

manui sæpiùs recusat) hunc suscipies laborem, timor erit à convulsione, quo circa dum os ad sedem reducitur naturalem reductumq; magis firmatur, præmittenda erunt antepileptica tam externa quàm interna.

Th. XXVI.

Si ossa ab acrimoniâ corroduntur indeq; nigredo ipsorū & caries, tunc illa medicamenta erunt hujus loci vulneraria, quæ tum intra corpus, tum ab extra acrimoniam hanc corrigunt. Hinc interna sunt vulneraria decocta lignorum; Externa sunt, quæ cariem hanc absumunt, talia autem sunt caustica potentialia v. g. Unguent. Ægyptiacæ. Oli aut butyr. gii. quibus extremè causticis cariôsæ partes à sanis separari planè queunt. Potest in locum horum assumi raspatura loci affecti, ubi tamen causa est interna, scilicet acrimonia sanguinis, hæc in simul erit corrigenda.

Th. XXVII.

Tum verò, cum substantia quædam carnea à vulnerato membro transversim est planè abscissa labia pariter combinari nullatenus queunt, quousq; substantia hæc deficiens fuerit restituta. Quapropter aliquorum medicorum operationes eò directæ fuerunt, ut carnem quandam adventitiam v. g. gallinaceam ab extra vulneri admovere & cum ipsius hiatu cœnare voluerint, an verò hic labor procedat, aut potius procedere queat multa sunt cur debitem: Certum enim est & extra omne dubium, quòd talis caro peregrina per idem gluten nutritivum lege circuli cum sanguine ad partem vulneratam appulsam, quò omnes partes faucis, cum vulneris hiatu consolidari & ipsi tanquàm incorporari deberet, sed verò quâ arte? quâ mechanicâ hujus extraneæ carnis pori adeò regulariter ac adæquatè poterunt carni faucis apponi, ut humo-

humorum circulus ipsam perluat &, prout decet, rorem suum nutritium infibrarum poris deponat? Accedit, quòd in tali carne emortuà humores momento rigere & congelascere inchoent, indè verò omnes pori insimul obstruantur. Quæ cum ita sint, hinc nihil absurdi me commissurum reor, quod hoc, quò carnem extraneam adponunt, molimen nunquam non frustraneum fuisse iudicem easq; relationes, quibus integra membra v.g. nasos, aures &c: Aliis vivis abscissa corporibusq; faucis rursus admota & cum ipsis coalita constat, inter figmenta referam. Quo circa sola est natura, quæ carnem perinstrumentum lædens transversim abscissam succo nutritio refarcire valet, medicus autem ac chirurgus ipsi hoc in munere per sarcotica, de quibus suo loco, remedia ministrant.

XXIX.

Novum id genus impedimentorum sistunt tumores partis vulneratæ: Scilicet sæpissimè contingit, ut vel inflammationes, vel tumores œdematosi tanquam symptomata vulnerum labiis adveniant, quæ verò nunc prius erunt removenda, quam medicus aut chirurgus labia combinare queat. *Hinc verò ea nunc cuncta sunt hujus loci vulnearia, quæ resolvunt hosce tumores attenuantq;.*

Th. XXIX.

Exordiamur à remediis, quæ inflammationem extinguunt atq; curant, quæq; diversæ sunt indolis operationisve pro sanguinis stagnantis dispositione atq; ætate, cuncta tamen eò respicient, ut sanguinem vel adhuc in se fluidum per constrictionem fibrarum, in quibus stagnat, pellant in vasa venosa vel jamjam compactiorem resolvant inq; fluorem redigant, brevibus, vocantur vel repellentia vel solventia.

XX

Th. XXX.

Dum igitur pars tumere incipit & sanguis non ita pridem intra partis fibras stagnavit simul verò adhuc in semet fluorem habere cognoscitur, medicamenta existunt proficua, *quæ virtutem habent constringendi fibras*, quò sanguis intra ipsarum poros stagnans in suava vasa venosa circulumq; redigatur, talia autem sunt: Rad. bistort. tormentill. Symphyt. maj. cortic. granator. fol. cupress. fl. rosar. balauft. acac. quæ in vino austero decocta sub epithematis, aut cataplasmatibus formâ vulneri applicanda.

Th. XXXI.

Quod si sanguis stagnans partem laesam in tumore nã jamã ruboremq; traxerint adstringentia sunt combinanda cum solventibus, qualia sunt: Spir. Vin simpl. Camphorat (probè per vinum aut Aquam v.g. ligustr. diluendus, si partibus nimium sensatis applicari debet, quas aliàs nimium irritaret vellicaretq;) rad. aristol. rot. ir. florentin. Herb. marrub. hyssop. ror. marin. agrimon. absynth. fl. hyperic. sem. carv. cumin. anis. aneth. foen. græc. bacc. junip. laur. quæ parili modo sub formâ vel cataplasmatibus, vel epithematis applicari queunt. Nota tamen quòd præcæteris Spir. Vin. in inflammationibus sit egregius. Sæpe verò hic sanguis stagnans tempestivè in circulum redigi nequit, sed potius in serum spissum & acre corrumpitur, quod fibras labiorum vulneris magis exulcerat & per ipsas effluit, in quò casu ea medicamenta sunt *vulneraria, quæ sordes has ulcerosos abstergunt atq; mundificant*, & sub formâ linimenti vel liquoris vulneris sinui immitti queunt, talis verò deprehenduntur virtutis: Hydromel, mel simpl. rosar. conser v. rosar. Vhord. cum melle rosato; Quòd si verò pus nimium, sit putridum ac viscidum
ipsum

ipsum solvent diluentq; decocta plantar. amaricant. de
quibus, ubi de sareoticis.

Th. XXII.

De pure adhuc monendum restat, quod in profun-
dioribus vulneris læsionibus ipsius labiorum coalitionem
chirurgus non adeo facile permittere debeat, sed potius
ope penicillorum ista aliquandiù aperta servare, quousq;
omnis materia purulenta è profundioribus hisce locis fu-
erit evocata: Nam aliàs contingit communissimè, ut se-
rum hoc corruptum versus interiora serpens fibrasqve
corrodens in ulcus sinuosum aut fistulam degenerare
queat.

Th. XXXIII.

Ubi igitur vulnus intempestivè curatum in ulcus
sinuosum erupit, primò explorandi erunt finuum tractus
ope candelæ cereæ, *Schneider-Kerzgen*/immissæ, po-
steà chirurgus id præ cæteris allaboret, ut fistulæ aut ulce-
ris ostium dilatet; *Instrumenta autem, quæ hunc finem*
operationesq; respiciunt, sunt nunc turundæ, nunc spongia
in Pyramidem formata, nunc causticum, vel forfex,
ut extrahi commodè queat inclusum pus. Quænam au-
tem posthæc id genus ulcera abstergant, jamjam constat,
quibus tamèn in cassum adhibitis substitui queunt acriora
v. g. Decoct. aut essent, nicotian, ungent. ægyptiac. in
Lixivio dilutum.

Th. XXXIV.

Ponamus hoc ulcus in fistulam degenerasse labiaq;
vulneris exin in callum induruisse, *vulneraria tunc erunt,*
quæ hanc collosam substantiam absumunt, (nam quomodo
pus sit extrahendum jamjam constat) talia verò acria
sunt: Rad. hellebor alb. cucumer. asinin. emplastr. dia-
chyl. cum gumm. Acriora sunt: *Ærug. gumm. amoniac.*

D

Ⓞust.

Qust. pulv. cantharid. quibus si cedere nollet substitui
queunt: Lap. caustic. officinal. Merc. Subl. in ∇ Solut.
Ol. $\text{\textcircled{1}}$, batyr. $\text{\textcircled{2}}$, antè verò vulnus repleas plumaceolis,
quàm ista caustica applices, ne ipsum lædatur vulnus. Quæ
tamen operationes admodum prudenti ac cautâ cum ma-
nu erunt in partibus nobilioribus adhibendæ.

Th. XXXV.

*Tumorem autem serosum attenuant explanantve ner-
vina sub emplastrorum aut cataplasmatum formâ applica-
ta.* Cataplasmatum ingredientia sunt: Majoran. salv.
pulej. rut. organ. Serpill. rosmarin. flor. stæchad. citrin.
arabic. Lavendul. è quibus etiam cum vino fodus aut epi-
themata fieri queunt. Emplastra autem sunt. Emplastr.
oxycroc. diaphoretic. Mynsicht. diasulphur. Ruland. de
gumm. ammoniac. hydropic. Augustanor.

Th. XXXVI.

Quòd si tumor hic ingens sit & *in præ corpore disposito*
h. e. in quò abundant particulæ serosa *deveniendum erit ad*
purgantia, intelligas tamen non drastica, sed mitiora v. g.
Laxantia, clysmata: Sunt equidem aliqui Laxantia huc
convenire negantes, sed falsò: Nam usurpantur *pro scopo*
serum derivandi atq; revellendi, ne admodum copiosus
ejus sit ad partem læsam affluxus.

Th. XXXVII.

Liceat huc annotare, quòd per fibras nimium la-
xas *copiosus contingat feri ad partem læsam affluxus*, sym-
ptoma articulorum vulneribus communissimum, quod
germanicè vocatur, *das Glied-Wasser* / ad quod igitur
præcavendum vulgò usurpantur emplastra defensiva nomi-
nata quæ composita sunt ex adstringentibus ac refrige-
rantibus, dum nimirum constringendo fibras copiosum
humo-

humorum affluxum prohibent. Hanc equevidem metho-
dum aliqui planè rejiciunt, sed non est, cur ipsam planè re-
jicere velimus: Concedo enim defensiva non in omni-
bus convenire vulneribus, attamen in fibris carneis læsis
(Fleisch-Wunden/) esse proficua existimo, fibræ quippè
tunc temporis laxæ ob talia admota roborantur rursus
stringunturq; Ratione fasciarum erit annotandum, quòd
ipsarum non adeò stricta debeat esse deligatio, ne nova
crispatura indeq; novi tumores suboriantur.

Th. XXXVIII.

Dum autem hi humores adhuc fibris sunt interpositi
ipsasq; nimium divellendo, crispando aut lancinando, in-
festant, necessum est, ut Spiritus in ipsis nidulantes hanc
molestam impressionem sentiant indeq; plus minus inor-
dinate ac impetuosè agitentur, quæ spirituum operatio unò
verbò vocatur dolor. Quapropter nunc *vulneraria* audiunt
ea cuncta, quæ sunt *anodyna*. *Quicquid idcirco vel istud prin-*
cipium tollit aut corrigit, undè molesta hæc impressio, vel ipsos spi-
ritus torpidiorem in motum redigit, ut ne molesti hujus objecti im-
pressionem sentire indeq; adeò moveri queant impetuosè, illud no-
men medicamenti anodyni huc loci meretur.

Th. XXXIX.

Varia autem sunt dolorum principia, scilicet nunc san-
gviniis nunc seri stasis, nunc globulus aut fragmenta ossis
incuneata læsæ partis fibris, humorum acrimonia fibras ner-
veas arrodens, ipsa discissio fibrarum, imprimis nervearum,
tendinearum membranacearumq; undè tanquam in cincin-
nos dissiliunt, Aer nimium calidus humores. intra fibras læ-
sas nimium exagitans, Aer nimium frigidus fibras crispans &
in spasmodicum dolorem rapiens. Diversa igitur forent
D 2 huc

huc recensenda remedia anodyna, nisi de modò & mediis per quæ sint corrigenda aut tollenda, vel jamjam in antecedentis constaret, vel mox ageretur. Liceat idcirco memet solum convertere ad medicamenta anodyna propriè sic dicta.

Th. XL.

Scilicet huc prætereo illa anodyna, quæ fibras emolliunt & humorem in iis stagnantem resolvunt v.g. cataplasmata ex radicibus alth. lilior. albor. malv. flor. melilot. chamom. ror. mar. sambuc. item ol. ovor. cer. &c: Cum quibus tepidis partes crispæ dolentes inungi queunt. Potius sub anodynorum nomine huc intelligi volo ea, quæ spirituum nimium motum compescunt v.g. Croc. fol. papaver. fol. hyosciam. Herb. parid. Possunt pariter sub certo respectu *antispasmodica* ipsis annumerari non ita pridem recensita, inter quæ eminent castoreum & succinum. *Interna anodyna* sunt opiata, sine quorum usu vulnera sæpè curari nequeunt.

Th. XLI.

Nervi autem læsi præ cæteris nimium sensati sunt atq; dolent, quocirca non absolum me fore reor, qui post anodyna de ipsorum vulneribus aut puncturis nunc agam. Cognitu haud obscura sunt hæc vulnera, dolor quippè ipsorum est comes ferè individuus, qui penè intolerabilis, ubi nervi solum sunt puncti vel superficiè tenus læsi, eò quòd fibræ relictæ adhuc integræ ab impetuoso spirituum affluxu magis tum distendantur, lacerenturq; ; At verò remissior & tantum non insensibilis in nervis planè abscissis. Procedunt porrò ex hoc impetuoso spirituum affluxu ceu symptomata convulsiones, inflammationes atq; gangræna.

Th. XLII.

Th. XLII.

Hæc igitur vulnera citò citiùs sunt consolidanda & præ
cæteris dolor componatur sedeturq; , qui cæterorum aliàs
symptomatum parens existit. Subtilissima hæc sunt vulnera
adeoq; pariter ea adhibeantur , *quæ vim habent penetrandi &*
balsamica insimul deprehenduntur indolis. Talia autem *nervi-*
na vulneraria sunt. Ol. terebinth. destill. cum tantillo Spir. Vin.
mixtum ac puncturæ tepidè instillatum ; Ejusdem virtutis
est , ol. Later. rectificat. cer. rut. aneth. cum euphorbiò in-
stillata. Possunt eundem in finem parari unguenta è pin-
guedinib. vulp. tax. Ol. terebinthin. Spic. Mastichin. Cum
hilce autem cunctis non pars solùm affecta & tota ipsius re-
gio, sed & spinalis inungantur medulla, ut omni nervorum
spasmo sic prospiciamus, hinc etiam interna propinentur an-
tispassmodica.

Th. XLIII.

Dolorem autem compescunt, ol. cer. ovor. tepidè instillata,
neq; incongruum erit præter hæc olea membrum læsum nec
non spinam dorsi inungere oleo lumbricor. terrestr. Omnis
aëris frigidioris accessus inter deligandum ab ipsis studiosè
arceatur, quo circa vas carbonibus ignitis repletum aut lin-
teamina calida tum temporis parti affectæ admoveantur
ægerq; ab omnibus abstineat acribus. Quòd si ex punctu-
râ nervorum dolor sit intolerabilis ac post applicata hæc a-
nodyna nullatenus remittat, nervus planè erit discindendus.

Th. XLIV.

Seqvuntur *medicamenta vulneraria in febrem vulnerariam,*
si quæ supervenit, dirigenda, quæ varia erunt pro diversitate isto-
rum principiorum, undè febris exorta est & adhuc conservatur v.
g. si febris exarsit ob humorum stasim (quæ causa est commu-
nissima)

nissima) tunc febrilia sunt & per consequens hujus loci vulneraria omnia diaphoretica, inter quæ tamen frequentissime tam præcautionis quam curationis gratiâ adhibentur, lap. 69. antihectis. Poter. Succin fl. Ais, Data. Si operandi modum desideras, ea aut resolvendi, aut inviscandi, aut ipsorum Spirituum motum compescendi virtutem habent.

Th. XLV.

Haftenus consideravimus Symptomata, quæ fibrarum flexibilitatem impediunt postquam recuperatam fibræ possunt reuniri, quarum equidem coalitio & consolidatio etiam si naturæ sit munus, nos tamen id solum intendimus, ut ea, quæ naturæ molimen detinere possunt, removeamus. Quapropter novus humorum ad partem consolidandam affluxus à medico vel chirurgo erit moliendus, ut per succi nutritii novum affluxum fibræ divisæ eò facilius citiusve conglutinentur.

Thes. XLVI.

Sapientem enim in extremitatibus fibrarum crispatarum hæret seri obstructio, quæ proin vel sunt reseranda & aperienda per digestiva, vel corradenda per putrefacientia, quod utrumque medicamentorum genus nunc novam vulnerariorum classem constituit. Digestiva autem sunt: Unguentum ex terebinthin. oleum Rosar. & vitell. ov. compositum, quodve chirurgis est communissimum it: unguent. aureum, digestiv. basilic. agunt verò ratione suæ acrimoniæ intrinsecæ, quæ fibras irritat, ut sese contrahendo ejiciant serum subtus hærens. Quòd si hæ fibræ nimium sunt obstructæ, tunc septica seu putrefacientia profunt, quæ hasce fibras tanquam humorum affluxus impedimenta corrodendo absumunt, quibus absumentis novæ repullulant.

Th. XLVII.

Sic igitur medicus atque chirurgus cuncta ea nunc removerunt, quæ impediabant quò minus fibræ solutæ uniri
qui-

quirent, quibus verò etiam si peractis nondùm tamen suo fe-
cerunt satis officio, potiùs sub ipso sarcosios negotio naturæ
ita assistere ipsos decet, ut vel removeant, si quæ sarcosios sunt
obstacula, vel ea suppeditent, per quæ eò citiùs faciliùsve
natura sarcosin perficere queat, vel demùm ea corrigat, per
quæ in sarcosi excedat. De singulis autem nunc seorsim.

Th. XLIX.

Scilicet cum natura vulneratas fibras per novas repullulan-
tes unit, hinc ea medicamenta, per quæ tum medicus, tum chirurgus
cooperantur vocantur *sarcotica*, non quòd efficienter carnem
producant, sed potiùs per ipsa vel ea removeantur, quæ car-
nis propullulationem detinent, vel ea porrigantur, per quæ
natura in partium conglutinatione operatur, quæ autem hæc
singula sint ipsa natura succi nutritii indigitabit.

Th. XLIX.

Primum enim necessum est, ut ad novæ carnis propul-
lationem adsit pariter materiæ nutritiæ quantitas sufficiens,
hinc verò inter sarcosios impedimenta primum est defectus
substantiæ glutinosæ tanquam materiæ è quâ fibræ, quocircà
Sarcotica audiunt externa, quæ particulas glutinosas in se conti-
nent v.g. balsam. peruvian. nigr. aliaq; balsama artificialia in-
ter quæ egregiæ est virtutis, balsam. vulnerar. Hildan. ol. te-
rebinthin. Internè pariter conveniunt inviscantia sub de-
cocti formâ assumpta v. g. summitat. strobul. pin. rad. chin-
lilior. albor. symphyt. mai. Hb. malv. heder. terrest. fl. lys-
mach. purpur. item balsam. Δ is, peruv. nig. ol. terebinth.
balsam. de capaib. de tolu. E fonte diætetico profunt ali-
menta pultacea v.g. ex oryza, mylio, amylo.

Th. L.

Deficit autem pariter hic ros nutritius, dum à substantia
acri, quæ quid in subiectis scorbuticis ac phthificis cernere
licet

licet, deraditur consumiturq; , hinc *sarcotica* *secundi generis* sunt , qua acrimoniam in vulneribus absorbent v. g. pulv. ceruss. cret. pompholyg. lythargyr. tut. alexandrin. osteocoll.

Th. LI.

Impedit insuper sarcosin materia nimium purulenta & substantia partium putrida , quæ ratione suæ serositatis & intus contentæ acrimoniam salinæ substantiam gelatinosam ac nutritiam ad partem affectam in ejus nutritionem delatam consumunt. Fiunt ergo hujus loci *sarcotica remedia detergentia*. Detergant autem (1) *Exsiccantia*, quatenus ratione suæ texturæ sitibundæ seu porosæ humiditatem superfluam absorbent v. g. Pulv. ceruss. cret. &c. gummata minus acria v. g. gumm. lacc. sangu. dracon. (2) *Refrigerantia seu potius adstringentia*, nam si pori sunt admodum patuli per quos serum copiosè alluit partem affectam ibiq; stagnans in materiam purulentam per calorem inspissatur , constringi paulò debent per unguent. de tut. de ceruss. diapomphol. (3) *Diluentia & resolventia*, si scilicet materia hæc purulenta nimium est viscida v. gr. decocta amaricantia, qualia sunt: Decoct. baccar. laur. sabin. item essentia resolventes v. g. myrrh. Aloës cum Spir. Vin. , quæ cuncta cum festucis rasilibus vulnere immittuntur, unguent. fusc. Fel. Würz. ultimò unguent. ægyptiac. (Damis man pōjet) lixiv. sarmentor. vitis, Urin. lap. medicamentos Croll. De hisce autem erit sciendum, quòd plurima modò dictorum præter vim resolvendi in simul habeant virtutem adstringendi, quò scilicet pori ob putridam hanc materiam nimium laxi rursus aliquantisper constringantur.

Th. LII.

Ultimum sarcosios impedimentum est seri defectus ob quem succus nutritius ad partem consolidandam deferri nequit, hinc *Sarcotica* hujus classis sunt *serosa cum vulnerariis seu glutinantibus combinata*. Ratio autem hæc patet, cur mulierum

rum quarundam gravidarum vulnera non nisi post puerperium coalescant, quippe, dum multum seri nutritii natura impendit pro foetus nutritione, hoc serum deficit nutritium pro sufficiente & exacta vulneris consolidatione.

Thef. LIII.

Unit igitur natura hanc fibrarum solutionem & per fibras de novo propullulantes ipsam tanquam deligat, prout scilicet materia nutritia se habet. Sequitur autem hinc sua sponte, quod, dum humoris nutritii copiosior quam decet ad partem laesam existit affluxus, caro pariter nimium quantum abhinc propullulet (Es wächst wild Fleisch darinnen) quae praeternaturalis affectio vocatur hyperfarcosis. Quapropter nova nunc vulnerariorum medicamentorum classis semet sistit, scilicet ea, per quae medicus ac chirurgus naturae operationem, dum in nova carnis propullatione aberrat, corrigunt & quae communi nomine vocantur hyperfarcotica.

Th. LIV.

Cum autem hanc hyperfarcosin imprimis videamus in subjectis serosis, ubi serum ad vulnus affatim affluens fibras reddit nimium tumidas easque inflat, hinc insimul praeter ceteris hyperfarcotica audiunt ea, quae vel impediunt seri ad partem laesam copiosum affluxum, aut ipsam seri abundantiam e corpore eliminant.

Thef. LV.

Sicuti autem variae sunt classes hyperfarcosios, ita etiam diversa dantur medicamenta hyperfarcotica. Si humores serosi in nimia copia affluere sicque fibrae plus solito intumescere incipiunt, tunc medicamenta quae istam humiditatem vel tollunt, vel evacuant vocantur praeservatoria. Praeservandi igitur gratia veteres sua defensiva jamjam usurpabant, quae certe admodum sunt proficua (1) ubi affluxus seri non adeo est copiosus

E

piosus

pius neque (2) humores ita sunt dispositi, ut à defensivo-
rum applicatione potius coagulentur quam in vasa repellan-
tur, paucis, debent adhuc in semet habere fluiditatem. E-
 fonte dietetico prodest, ut abstinemus à multis potulentis
& assumamus quæ humores incrassant, alimenta scilicet pul-
tacea v.g. ex oryza, mylio, amylo &c.

Th. LVI.

Si verò hæc recensita humores nondum sufficienter al-
terant serosos tum serum erit evacuandum. Inter evacuan-
tia hæc proficua autem erunt *purgantia aut laxativa*, item *dia-
phoretica*, quæ sanè felicissimo cum effectu usurpantur: Nam
post usurpata hæc serum evacuantia hypersarcosis imminui-
tur. Quæ tamen, cum jamjam actu adsit, alia medicamenta
postulat, prout scilicet caro plus minus propullulavit, sic, si
ob serositatem fibræ aliquali modo intumuerunt, *hypersarco-
tica blanda* profunt, puta vel *exsiccantia*, vel *refrigerantia*.

Th. LVII.

*Exsiccantia seu qua humiditatem absorbent sunt: Cret. præ-
par. pulv. ceruss. alb. lythargyr. tut. Alexandrin. lap. calami,
osteocoll. lacc. florentin. uno verbo, omnia remedia terrea,
de quibus adstringentibus cunctis erit notandum, quòd de-
beant esse alkoolisata. Gummata pariter conveniunt v. g.
gumm. lacc. sangu. dracon. ambo pulverisata. Inter refri-
gerantia in primis pertinet aëris frigidioris accessus modera-
tus tamen. Peccant proin ii chirurgorum, qui post applica-
ta hypersarcotica adhuc superimponunt emplastra vel cata-
plasmata: Nam ob calorem ambientem fibrarum pori ma-
gis evadunt laxi, hinc humores de novò copiosius affluere
queunt.*

Th. LIX.

Quòd si ob nimiam carnis excrescentiam hæc memo-
rata

rata nondum omne exhauriunt negotium fortiora sunt in
usum vocanda, nempè, *adstringentia*, hæc quippè fibras con-
stringendo humores in sua vasa pellunt, talia autem sunt: *Q*
ust. quod ratione terreæ substantiæ absorbet, ratione hamo-
sarum verò particularum adstringit, pulv. gallar. fl. rosar.
rubr. balauft. sem. sumach. pulv. herb. thée, Cortic. granator.
Spong. ust, Colcoth. edulcorat. Merc. sublim. blanda solutio.

Thef. LX.

Fortissima sunt hyperfarcotica & quæ in callis absumen-
dis usurpantur remedia cathæretica, quorum omnium virtus
in eò consistit, ut ratione suæ salinæ naturæ absumant & re-
solvant: Item quæ aliàs caustica vocantur, Prioris generis est,
urina, posterioris verò: Fol. Sabin. gumm. euphorb. unguent.
fusc. Fel. wüurz. unguent. ægyptiac. lap. medicamentos, Croll.
turpeth mineral. Merc. præcip. rub.

Th. LX.

Solam igitur naturam partes molliores per violentiam
quandam externam dehiscentes carne novâ adimplere, con-
glutinare & tanquàm deligare ex antea dictis nunc constat.
Quocirca dicendum erit adhuc superstes, quâ ratione par-
tium æquè molliorum superficiem explanet ac solidarum,
puta ossium, compagem solutam reuniat & ad pristinum ro-
bur reducat. Scilicet postquam partes molliores dissolutas
per novas fibras compegit ultimò demum eò respicit, ut per
novam cutem superinducendam in pristinam superficiem
lævigentur applanenturve, quæ carnis novæ summitas den-
sa & quasi callosa facta cicatrix audit, ossium verò compagem
solutam rursus firmat & ad pristinum robur reducere inten-
dit per novam quam fracturæ superimponit callosam sub-
stantiam. Quocirca in scriptis medico-chirurgicis *remedia*
vulneraria ultimò *divaricantur in epulotica seu cicatricem gene-*
rantia & perotica seu callum producentia.

E 2

Th. LXI

Th. LXI.

Abfit tamen L. B. ut in hisce functionibus à medico ac chirurgo vel coadjuvandis, vel corrigendis novæ indolis medicamenta instrumentaq; expectes, ut potius, quæcum vulnerariorum classe conveniant ac coincidant, attendas: Enimverò sicuti per se certum est, quòd omnes fibræ ipsam partium, cutis, calliq; substantiam conformantes ex unâ eademq; materiâ glutinosâ & nutritiâ prodeant ac efformentur; Ita & infimul extra omnem est controversiam, quòd eadem, quæ sarcostas ab extra circumstant negotium, tum cicatricis, tum calli generationem vel commorari, vel turbare queant impedimenta.

Th. LXII.

Partes etenim pristinum ad modum lævigantur, applanantur ac roborantur, ubi singuli fibrarum pori sunt regulares ac recti linei, succus pariter nutritius adest sufficiens nec nimis serosus aut acris. Abhinc verò me etiam silente procedit, quòd epuloticorum ac poroticorum classem subeant, primò quæ glutinosam & cum nutritio rore congruam in semet comprehendunt substantiam. secundò, quæ nimium feri in partis superficie madorem per suam porosam non solum substantiam, sed & sæpè morsicando absument, tertio acrimoniam gluten absumentem corrigunt & intra suos poros suscipiunt. Demùm verò, quæ pus sordidum vulnerum labiis intertextum detergunt mundificantq;. At verò cum de iis cunctis, ubi de sarcoticis, fuerit actum, hinc, ut medicinam vulnerariam brevioribus adstringere queam paginis, L. B. eo relego.

CAP. III.

CAP. III.

De Vulneribus quarundam partium in Specie.

Th. I.

HActenus quæ in vulneribus consolidandis in genere sunt observanda recensui, nunc verò pariter ad rem fore duco, si quædam insuper edisseram *de iis vulneribus, quorum vel biatus est in cavitatem quendam ventremq, vel quæ præter generaliora requirunt aliqua specialia in iis curandis observanda.* Scilicet cum quorundam vulnerum hiatus, in quantum sit profundus & quò penetret oculis sæpissimè in ægris nequeat accuratè cerni, hinc primò necessum erit *in aliquibus vulneribus signa quædam indigare, per quæ cetera notiora vulneris natura cognosci queat.* Accedant insuper peculiare enchyrises medicamentaq, in his vel illis vulneribus curandis specialiori notatu digna.

Th. II.

In Vulneribus quæ thoracis cavitatem solum penetrant, aut contenta quædam in simul perforant viscera duo veniunt observanda, primùm ipsa vulneris exploratio, dein quædam peculiare in eo consolidando enchyrises præter generaliora remedia observanda. Indigitat vulnus pulmones perforans sanguinis, qui pro diversitate temporis est vel floridus, vel grumofus, vel purulentus, per tussim ejectio. De vulneratis vasibus majoribus minoribusvè testantur hæmorrhagiæ enormes vel remissiores, etiamsi exin accuratè determinare nequeamus, utrum vena cava, arteria

arteria aorta, truncus arteriæ aut venæ pulmonalis si-
transfossa, ecquid verò istis foret opus, cum mortis illicò
superventuræ sint hæc vulnera prodromi. Vulnera me-
diastini colliguntur ex inæquali situ & motu cordis, quod
tamen signum ipsis pariter Cordis vulneribus esse insimul
commune ambabus largior. Detegit vulnus solam tho-
racis cavitatē profundè perterebrans Aer inter expira-
dum è vulnere prorumpens plus minus impetuosè,
prout scilicet ipsum vulnus plus minus latè ac profundè in
hancce hiat cavitatem. Ast miraberis quòd Aerem pro-
duxerim ceu id genus vulneris testem, cum tamèn stylus
hiatui immissus profunditatem ipsius queat certius deter-
minare, scias tamen, quòd per instrumenti hujus rigidi
contrectationem violentam hæmorrhagia, inflammatio-
nes, dolores facilè supervenire queant, hinc styli potius
sunt in explorandis id genus vulneribus rejiciendi quàm
retinendi. Accedit secundò, quòd, dum in tali explo-
ratione corporis situs mutari debet, eadem symptomata
exoriri queant. Cum autem è re sit, ut vulnus per instru-
mentum quoddam veniat indagandum, tunc necessum
in simul est, ut æger prius reponatur in eum situm sub quo
vulnus suscepit. Posthæc verò per candelam tenuio-
rem ceream ipsum investigari potest vulnus, ista quippe
per suam flexibilitatem juxta vulneris situm conditio-
nemque aptari potest ac flecti.

Th. III.

*Post vulneris conditionem exploratam illicò è re est,
ut cruoris moles, quæ è sanguine extravasato in thoracis
cavitate est collecta, educatur. Quamobrem vulneris
hiatus*

hiatus per immiffum penicillum est apertus fervandus
ſæpiusq; pariter, quò facilius cruor effluere queat, dilatan-
dus. Penicillus autem immittendus filo alligari debet,
ne inter inſpirandum intra ipſam rapiatur cavitatem.
Promovet hanc cruoris evacuationem ægri ſitus, decum-
bat quippe nunquam non in latus ægrum, aut ſitus cor-
poris, dum ſuperior thoracis eſt ſaucia regio, parum ſit
declivis. Si vulnus per totam cavitatem penetraverit &
intergo ſit exitus utriq; orificio immitatur turanda quæ
ex emplastro ſtiptic & unguento digeſtivo quodam eſt
mbuta.

Th. IV.

Abdomen perfoffum admodum eſt periculofum &
curata arduum opus: Notum quippè eſt ex physiologia,
quòd inter reſpirandum abdominis muſculi multum co-
operentur moveanturq;, hinc verò illæ Lacrymæ h.e.
ægra coalitio. Igitur quæ in thorace vulnerato pro cru-
oris educatione ſvadebatur vulneris ampliatio, huc potius
eſt diſſvadenda, imò prohibenda quid? Quòd omentum
ac inteſtina inter exſpirandum facile tunc ab abdominis
compressione extra corporis pomæria premi protudiq;
poſſent. Ponamus autem vel omentum vel inteſtina ex-
tra abdomen jam eſſe prolapſa, tunc unicè id erit allabo-
randū, ut viſcera propendula celeriter ſitui reddantur na-
turali locove, ſubitò quippè aliàs Aeris à contactu inflan-
tur ac nigreſcunt demumq; emorirentur in ſphacelum,
omento cum primis communiffimum affectum.

Th. V.

Quapropter hæc viſcera ante omnia debent foveri,
quodam

quodam decocto emolliente resolventeque; v.g. ex floribus
chamomill, melilot. semin. anis. foenicul. parato cum la-
cte, idem opitulatur Spir. Vin. camphorat. & paululum
dilutus cum aqua menthae, flor. sambuc. aut anis. cui pot-
est addi Tinctur. Myrrh. Aloes &c: Cum autem ob vul-
neris angustiam commodè reponi nequeant, tum erit
vulnus per incisionem dilatandum, nota tamen, quòd
vulnus celerrimè rursus sit consuendum applicatis dein
digestivis positoque; desuper quodam exemplastro glutinan-
te & quod cuti firmiter adhæret. Quæ consolidatio ut
eò facilius firmitusque; contingat, hinc interea æger omnem
fecum excretionem abdominis requiratur compressio,
istæ semper lubricentur, emolliantur evacuenturque; per
lubricentur, emolliantur evacuenturque; per clysmata in-
jecta aut suppositoria, aliàs enim certò certius vulnus de
novo hieret.

Th. VI.

*Esar, lien, mesenterium, ventriculus, intestina, re-
nes, vesica urinaria transfossa* non equevidem adeò accuratè
possunt cognosci, lucem tamen quandam primum affun-
dit horum viscerum situs, dein verò ii liqvores quos secun-
dum naturam in sese continent, quippè, dum cum san-
gvine vel bilem, vel alimenta indigesta, vel fæces, vel uri-
nam profluere videmus, signum hæc excreta præbent
ejusdem visceris læsi, quod integrum liqvorem hunc pro-
fluentem capit atque; complectitur. Periculosissima hæc
sunt vulnera & ferè omnem elidunt curam medicamen-
taque; tum propter enormem hæmorrhagiam, quæ in ac-
cessibilis, tum ob alia symptomata atrocissima ac mortis
prodromos.

Th. VII

Th. VII.

Capitis vulnera præ cæteris urgent medicum ac chirurgum maximoperè intentos circumspectosq; Variæ autem huc erunt enchyrites medicamentaq; peculiaris annotanda, prout nunc sola cutis, nunc pericranium simul aut ipsum cranium erunt vel vulnerata, vel fissa ruptaq;, nunc verò demum ipsæ cerebri membranæ earumque vel dura solum, vel etiam pia cum substratâ cerebri substantiâ discissæ.

Th. VIII.

Primò autem omnium in capitis vulneribus crines sunt novacula abradendi, ne dolores fibrarum crispaturas indeq; inflammationes vulnerum Labiis inducant. Insuper erit sciendum, quòd in quocunq; capitis vulnere vena mediana sit tundenda ad sanguinem revellendum, ne in hisce partibus nobilibus stagnet.

Th. IX.

Cutis capitis, imò ipsum etiam pericranium sauciata communem vulnera curandi methodum admittunt, solum quippè dijestivum vulgare cum linteis carptis admotum huc sufficit, nec non sarcotica communia cum emplastro de betonic. aut diapalm. superimposito, hinc convertamus nos ad vulnera capitis profundiora.

Th. X.

Scilicet unitas cranii soluta per fissuram aut rupturam

F

7612

pani magis attentam requirit chirurgum in vulnere hoc non minus cognoscendo, quam curando. Vulneris seu fissuræ hiatus per atramenti nigri immisionem cognosci facile potest, idem verò poteris investigare per stylum obtusum, dum hujus fissuræ inæqualitatem ipso tangis, quem tamen contactum futuræ non admittunt. Demum verò signum præbet spiritus paulò detentus, quippè interea vulnus intumescit & sanguis per cranii ruptæ rimam effluit.

Th. XI.

Ast nihil certi determinare valent hæc signa, *ubi integra adhuc capitis cute cranium vel eò in loco, ubi contusio facta, fissum est, vel in opposito loci contusi latere, quæ affectio contra fissura audit.* Duplici autem modo ad horum vulnerum naturam cognoscendam pervenimus. Scilicet ut primò scire queamus, num cranium sit fissum, an non, hinc dentibus ægri nux avellana frangenda supponatur, vel chorda iisdem apprehendenda, ubi enim putamina nucis haud frangere poterit pulsataq; chordæ sonum minus tolerabit, cranium esse fissum certò constabit.

Th. XII.

Detectâ autem sic cranii fissurâ inquirendus erit in ipso locus, ubi fissura, quem in finem sequens excogitarunt experimentum: Caput prius totum rasum circumdant massâ quadam farinacâ, vel unguento ex albumin. ovor. & mastich. compositum, cui super imponunt lintamina calida, quòd si igitur nunc humida linea erit reliqua cæterâ massâ perfectè exsiccata, tunc certum est cranium

ibi

ibi esse fissum, ubi massa deprehenditur humida. Valeant autem huc ii medicorum . chirurgorum , qui fissurarum signa volunt haurire ex symptomatibus solis, scilicet Scotomiâ, vertigine, vomitu bilioso, deliriis, Spasmo Capitis maxillarumq; artuum tremore ac motu convulsivo partium, deniq; internarum resolutione ac paralyti: Hæc enim symptomata cuncta non solis cranii fissuris sunt propria, sed etiam cranii depressioni fracturæ cerebriq; læsioni communia.

Th. XIII.

Cognitâ nunc fissurâ ulterius erit inquirendum, *num nam solum laminam, num ambas penetret.* Fissura unius laminæ curatur per abrasionem cum instrumento raspatorio usq; ad partem sanam. Periculosiores sunt cranii fissuræ per suturas transversim repentes, huc quippe dura meninx interposita talem abrasionem impedit prohibetve. Ubi autem totum deprehendas cranium esse ruptum, ad trepanationem erit confugiendum. Idem adhibeas trepanum cranii laminâ inferiori ruptâ ad eximenda ejus separata frusta Sangvinisq; grumos in duræ matris dorso collectos. Dum autem subtus matre durâ adhuc integrâ hi grumi hæsitent, non cranium solum erit perterebrandum, sed & dura meninx Scalpello simul incidenda.

Th XIV.

Devenimus nunc *ad cerebri penetrabilia h. e. ad ea vulnera, que cerebri membranas ejusq; substantiam subeunt,* signis huc non est opus, cum in oculum hæc vulnera incur-

F 2

rant

rant, hinc ad medicamenta. Huic nempe meatui instil-
lentur vel mel rosar. vel syrup. mell. vel balsam. peruvian.
de capaib. de tol. item, balsam. peruvian cum myrrh.
aloe, camphor. mixtus, vel etiam Tinctur succin. Omnia
acria, acida, pingvia huc sunt vitanda, pingvia quippe ad
suppurationem disponunt, illa autem dolorem produ-
cunt insignem, ut aliorum taceam symptomatum ad quæ
producenda sunt apta.

Th. XV.

Vulnra spina ac spinalis medulle nullas peculiare
enchyrises medicamentaq; novæ indolis urgent. Ossea
quippe fragmenta communi methodo remonentur, me-
dulla autem ejus saucia per eadem curatur medicamenta,
quibus substantia vulnerata.

Th. XXVI.

Labra & lingua saucia propter substantiam fungosam
& glandulosam specialia quædam in ipsis curandis postu-
lant (1) ratione futuræ (2) propter defensiva & consolidan-
tia applicanda: Enimvero labiorum futura fit mediante
acu ad eundem modum, quò labia conjunguntur lepori-
na. Linguae autem fissuræ filamentis contrahuntur, cui
deinde post, ut hæc eò firmiter cohaereant vulneris labia,
linteum imponatur ovi albumine imbutum. Reunitum
vulnus ab interna parte tum labiorum, tum linguae attin-
gatur per Linimentum quoddam abstersivum & compo-
situm è Syrup. Rosar. vel melle rosar. & Tincturâ anti-
phthis. aut abstergi mundificariq; pariter potest liquore
quodam è decoct. veronic. mell. rosar. pro ore aut labiis
colluendis.

Th. XVII.

Th. XVII.

Nunc verò pariter recensendum erit, ad quænam specialiora in *sauciis partium articulationibus deligandis* sit respiciendum. Minimè tamen huc attingam, quam curiosè & omni studio aëris frigidi accessus sit vitandus; Neque è re erit huc repetere, per quam defensiva seri affluxus, *das Glied Wasser* / sit coercendus, quippè huc recoquerem, quæ in generalioribus de iis jamjam fuerunt edisserta. Quapropter duo solùm erunt, quæ peculiare enchyrises huc requirunt: Scilicet (1) sub ipsâ consolidatione articuli sunt in naturali situ servandi (2) post consolidationem ipsorum mobilitas, quoad poterimus, restituenda est. Ita e.g. articuli digitorum, brachii &c. vulnerati in deligatione non extendantur neq; incurventur nimium, sed in mediò situ conserventur, ut ad utrumq; mobiles sanentur. Quando pars anterior humeri vulneratur fulcimenta sub axillâ reponuntur & ulna mediante freno firmatur, ut caput humeri sursum moveatur. Sin posterior vel inferior humeri pars rescinditur, tunc inter & post consolidationem brachium sæpè moveatur, ne rigiditas relinquatur. Genu saucium rectà est extendendum & in eò situ potissimum servandum, ne claudicatio relinquatur. Eodem autem modò, quò jamjam dictum, possuinus procedere in reliquis partium articulationibus læsis. Quòd si tamen aliqua articuli rigiditas, vel immobilitas ob læsionem ingentem post vulnus consolidatum manet superstes, flectitur ea & emollitur per inunctiones & fomentationes v. g. cum ol. lumbricor. terrestr. unguent. dialth. nervin. pinguedin. human.

Th. XIX.

Demùm autem nos convertamus ad ea, quæ *bestiarum & a-*
bida-

Vidarum furiosarumq; dentes infligunt vulnera. Multa hinc sunt attendenda & tanquam specialissima in iis curandis notatu digna: Enimvero cum ipsarum dentes acutissimi sint, ut plurimum ac numerosi (id quod utrumq; in viperis videre est) hinc (1) plagæ tenuissimæ profundæq; ac quæ subito concidentes in inflammationes aliq; symptomata exacerbantur, (2) nerveas fibras ipsosq; nervos hæ dentium cuspides dilacerant. (3) Sæpè contunduntur solum ac conqvassantur nervi, si quæ dentes sunt obtusi. (4) Vulneri communicatur saliva mordentis animalis motu spirituum impetuoso furiosoq; turgida. Vulnus igitur nimis angustum ante omnia est dilatandum, id quod in actum producere vaitemus ipsum scarificando vel incidendo per lancettam, cui incisioni cucurbitula imponi potest. Multis autem indicationibus hæ operationes faciunt satis: Præter id enim, quod vulnus aperiatur, sanguis ac serum versus exteriora revelluntur, quid? Quod Spiritus ob dolorem in alium motum cieantur, ne à furioso hoc adventitio motu rapiantur in consimilem. Quem pariter in finem vulnus inflictum cauterio quodam actuali urunt; Nota tamen, quod hæ operationes illicò post morsum applicari debeant. Præter hæc autem recensita humorum non minus quam spirituum motum ad extra & versus corporis peripheriam expellunt alexipharmaca v. g. Theriac. diascord. Tinct. bezoard. acet. bezoard. Vulneris hiatus abstergatur mundificeturq; per spirit. theriacal. camphorat. Spir. Vin. myrrhat. camphorat. Ess. myrrh. adhibitis insimul optimis digestivis.

SOLI DEO GLORIA!



DISPUTATIO
MEDICO-CHIRURGICA

VULNERA
LETHALIA

AUDICE D. B. S. P. O. S. I. M. A.
CONSULIT ET APPROBAVIT

INSTITUTI HENRICI

MDCCCLXII

WILHELMUS

STRECHNER

WILHELMUS

STRECHNER

WILHELMUS


STRECHNER

WILHELMUS

STRECHNER








20





DA A 6540

ULB Halle 3
002 937 247


Sb.

W 17





No. 29

SYNOPSIS Doctrinae ac Me- dicinae Vulnerum,

IN
Gratiam tyronum
conscripta

J. G. R. M. C.

Cum Consensu Facult. Medicinæ.



WITTENBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCII,
ANNO 1693.



ntur,
occid
Vi pa
æ nu
C. ad
nehr
los c
in. l. 4
dent
l. s. l. 4
in ci
giant
uoni
cent.
ures a
& cer
atus
43. in
lura v
unt l
arunt
cafum
mo d
fin ri
echal
ta sin
rum f
diner
ndi lu
a clari
a inac
ptore
as ex
ictum
eru ca
m, a
4. 15.
T

